

**05
A
1559**



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-591123-p0002-7

DFG

CONTEMPLATIONUM PHYSI-

CARVM GENERALIVM

QUARTA

De

NATURA

Et

PRINCIPIIS CORPO-

RUM NATURALIUM EXTRINSECIS,

Quam

Jehovâ Opt. Max. Auspice

PRÆSIDE

M. GEORGIO GUTKIO

Coloniensi Marchico, Facult: Philosophicæ
adjuncto.

In florentissimâ VVittebergensi Academiâ

Ventilandam proponit

CASPARVS HEID ECK

Günstensis Anhaltinus.

Ad diem 25. lunI. anno 1617.

VVITTEBERGÆ,


Apud PAULUM SCHETLERUM.

19





05 A 1859



CONTEMPLATIONUM PHY- SICARVM GENERALIVM. QUARTA.

PRÆLOQUIUM.

Naturam nihil facere frustra, decantatum est axis
oma Atistotelis. Hæc enim ordinis amantis-
sima confusione m̄ serio detestatur. *Omnia*
igitur finis alicuius gratia suscipiet, omnia in cer-
rum ordinem disponet. Hoc quomodo peragatur,
præsens disputatio declarat, in qua disquisitio instituitur
de Natura, causisque corporum naturalium externis, &
earundem effectis. *Disputandum hic de monstris & eorum*
causis, quas indagare non solum iucundum sed & frugiferum,
& salutare, Quocirca sine latiore excursu in nomine
Jehovæ apponimus.

Thefin I.

Materiam & formam tanquam principia constituentia cor-
pus naturale consideravimus; nunc easdem con-
templabimur, prout sunt modi intrinseci, à qui-
bus dependent affectiones, & potissimum com-
munis illa affectio corporis naturalis nempe mo-
tus. *Videmus enim res naturales in se recipere motum & quietem.* Ergo
Physicus non sine ratione intrinsecum hujus affectionis princi-
pium inquirit.

A 2

2. Ap.

II.

Appellari consuevit illud natura, de qua an sit, quærere est tempus perdere. Nam dari eam ex omnium confessione constat, & à posteriori per motum rerum illa satis evidenter probari potest. sumitur eadem varijs modis. Interdum omnibus rebus tribuitur, & ita cum essentia convertitur; sapissime pro rerum creataram universitate sumitur, immò Deo attribuitur; non raro nativum caudrem, & cuiusq; animantis temperamentum designat, de quibus acceptationibus videatur Aristoteles s. Metaph. c. 4. Suarez diffut. Metaph. 15. s. 11. d. 5. & 6.

III.

Tandem accipitur pro eo, unde affectiones Physicæ promanant, in qua significatione ab Aristotele hunc in modum describitur: *Natura est principium & causa motus & quietis in eo, in quo inest primum, per se, & non secundum accidens.* Generis loco in hac descriptione duo ponuntur, sc. *Principium & causa*, quæ tamen pro eodem usurpantur, nisi quod causa contrahat principium. Quod enim Albertus 2. Phys. tract. 1. dicit, principium & causam hic referri ad diversa, & quidem illud respectum habere ad privationem, id subsistere nequit, cum privatio non sit natura. Quamvis enim Aristoteles 2. Phys. t. 15. ita de privatione pronunciet: οὐ σέποντις εἰδός πως ἐσίν: Privatio forma quodam modo est: tamen illud saltem intelligendum est de privatione, quatenus concomitantē forma est, quando scilicet aliam formam adjunctam habet Zabarella lib. 1. de prima rerum materia c. 7.

IV.

Dicitur præterea in descriptione: *motus & quietus*, quæ verba à multis per disjunctionem exponuntur, ita ut sensus sit; *natura est causa motus aut quietis.* Verū magis accurata esse videtur illorum sententia, qui verba illa copulativè exponenda esse censem, non ut omnem naturam principia motus & quietis constituant, sed ut omnem motum & quietem, ubi cunq; & quo modo reperiantur, sive in eodem, sive in diversis corporibus, à natura tanquam à principio intrinseco procedere, evincant. Adhac per motum potissimum intelligimus motum localem, quem Averroes omni-

omnibus animalibus, Elementis, mixtis & cœlo adscribit. Per quietem non intelligimus privationem motus, sed permanentiam positivam in loco naturali, aut sub aliqua forma, quo sensu motus & quies sibi invicem non opponuntur, cum ille ad hanc ordinetur tanquam ad finem & perfectionem suam, ideoq; ab eodem principio, natura sc. procedere possunt.

V.

Deniq; dicitur in descriptione, in quo inest primò per se, & non secundum accidens. ubi per verba illa in quo inest intelligitur principium internum. Nam extra subjectum natura nunquam existit, unde in eo distinguitur ab arte, quod natura sit principium in eo cui inest, ars vero principium in aliud. Res namq; artificialis à principio suo extrinseco denominatur, naturalis vero ab intrinseco. Additur primò, per se, & non secundum accidens, ut excludantur omnia ea, quæ per accidens motus alicujus causæ esse possunt. Sic motus automatum non est per se, sed per accidens: Quia extrinsecus accedit, & ab artifice pendet, nec non initium habet. Quamvis enim automata moveantur, tamen istum motum à se ipsis primò & per se non habent. Non enim in horologio, quatenus horologium est, datur primum & immediatum motus principium, sed in materia horologij, quod motus principium ars determinat & modificat.

VI.

Tandem excluduntur quedam principia interna, quæ quidem sunt motus principia; quia tamen per accidens insunt rei, non sunt natura, ut medicina, quā Hippocrates seipsum sanat, esto, sit principium sanationis, non tamen est natura: quia medicina inest quidem Hippocrati, non tamen per se, sed tantum per accidens. Gilbert. Jacob. in Inst. Phys. p. 30.

VII.

Sed gravior porrè oritur disceptatio, quodnam principium in definitione naturæ intelligatur, an solum activum, an solum passivum, an vero utrumq; simul? Simplicius ad 2. Phys. t. 16. & 17. Scotus 2. sentent. distinct. 18. question. unica, 4. sentent. distinct. 43. quæst. 4. ita verba definitionis hujus explicant, ut nomine principijs solum passivum intelligant, quæ sententia à multis prolixè refuta-

tatur. Nos eam rejicimus hoc argumento: Dantur actiones naturales. Atqui à forma oriuntur actiones, & p. c. non sola materia, sed etiam forma erit natura. Deinde natura maximè definitur respectu motus localis, cuius datur principium activum. Quidam solum principium activum intelligunt, sed siue ratione. Nam corpus naturale non sola formā, sed etiam materiā absolvitur, unde non solum forma, sed etiam materia natura erit. Ergo concludendum quod tam materia, quam forma sit natura appellanda. Sed quomodo natura tribuitur Formæ & Materiæ dicitur? Respond. univocè. Nam quod forma sit principium constitutionis corporis naturalis, hoc non refert acceptum materiæ, negat hæc illi. Vide Ruv. 2. Phys. c. I. quæst. 2.

II X.

Præterea, quia natura dicitur principium motus & quietis, declarandum porro est, quomodo natura ad species motus sese habeat. Generatio itaq; & in corruptio elementis & mixtis inanimatis solum habent principium passivum intrinsecum: Quia nihil seipsum generat & corruptit. Alteratio duplex est, corruptiva & perfectiva. Corruptiva solum principium passivum requirit; perfectiva interdum etiam activum principium intrinsecum exigit, uti patet per agentia per avitatem, nec non per aquæ calefactæ ad pristinum frigus reductionem, quam ab aquæ forma fieri asserimus. Augmentatio & diminutio tam activum, quam passivum principium intrinsecum habet. Nam à calore intrinseco, & facultate animæ vegetativæ ipsa rerum accretio dependet.

Motus localis varius est. In cœlo datur principium intrinsecum passivum nempe materia & suo modo activum, quod cœlum ad suscipiendum motum circularem disponit, quem motum postea intelligentia tanquam forma assistens determinat: Motus sursum & deorsum in elementis itidem à formis elementorum mediante gravitate & levitate provenit. Motus progressivus in animantibus ab ipso intrinseco principio activo dependet & promanat.

IX.

Et hæc de natura contemplari placuit: Succedunt principia corporum naturalium externa, nempe causa efficiens & finis. Describitur causa efficiens, quod sit principium extrinsecum, à quo primò fit

fit motus. Dicitur principium, quia hoc, ut constat ex Metaphysicis, causa latius est; Dicitur externum duabus de causis. 1. Quia non est de essentiâ rei, & sic distinguitur à materia & forma. 2. Quia non est in eodem subjecto cum eo, quod efficit, & sic distinguitur à natura. Dicitur: à quo primò fit motus ubi notandum, quod vox motus non exhiuriat totam causæ efficientis latitudinem, sed saltem fit modus specialis causæ efficientis. Nam Deus Optimus Maximus etiam efficit, sed sine motu. Unde motus loco substitui potest actio, & Aristoteles excusari, quod scilicet specialem modum causæ efficientis nobis magis cognitum in descriptione causæ efficientis exprimere voluerit.

X.

Distinguuntur causæ efficientes 1. Iuxta diversos gradus rerum naturaliter agentium. Nam 1. reperitur agens infra animam, cuius motus tamen est constans, quam si cognosceret finem suum, ut lapis cadit deorsum motu admodum determinato. Ubi obiter nota, quod motus rerum inanimatarum, quatenus à propriis suis causis fluunt, non dicantur fieri propter finem, sed ferri interminum, ut motus lapidis si consideretur, prout sit à lapide, fertur in locum deorsum, non tanquam finem, sed tanquam motus localis terminum. At vero si consideretur idem motus lapidis, quatenus fluit à primo motore dirigente lapidem, tum motus ille est propter finem.

XI.

2. Offert se agens per animam sine cognitione, quale agens est omne vivens sola anima vegetativa praeditum. 3. Datur agens per animam cum cognitione, sed sine prælectione, uti operantur animantia bruta, quæ organis certis ad peragendas actiones utuntur. 4. Occurrat agens per animam cum cognitione & ratione, quale agens est homo, qui per animam rationalem agit, quæ non utitur organis ad perficiendas suas operationes, sed ab organis corporeis saltem quoad acquirendam rerum cognitionem dependet.

XII.

II. Distinguuntur causæ efficientes in universalem & particulares.

Uni-

Universales causæ sunt, quæ effectum proximè & immediatè non producunt. Partiulares sunt, quæ effectum proximè attingunt.

III. Causæ Physicæ aliæ agunt per actionem transeuntem, aliæ per immanentem. Illæ sunt vel univocæ, vel æquivocæ. Causæ æquivocæ dicuntur, quæ non producunt effectum sibi similem in specie. Sic Sol æquivocè producit animalia ex putri materia. Ad hunc agendi modum etiam referantur qualitates occultæ, omnipotēcia & avertitopotēcia rerum. Causæ univocæ sunt, quæ effectum sibi similem in specie producunt, ut homo generat hominem...

XIII.

IV. Dantur etiam alijs agendi modi in Physicis, sc. reactio, actio reflexa, & actio per avniæsisæ. Reactio nihil aliud est, quam retributa quedam mutatio, qua id, quod patitur, renititur adversum agens, & illud commutat, dum ab ipso mutatur. Sic aqua extinguit ignem, aqua verò calefieri deprehenditur, unde ignis reagit in aquam. Actio reflexa est, qua forma in se recurrens, & exterum hostem metuens summa ope se conservare nititur, & sic illo summo conatu vires majores acquirit. Sic calor ventriculi tempore hyberno intenditur. Actio per avniæsisæ est, quando externum agens dum contrarijs qualitatibus nimium constringit patiens, ipsius vires magis auget & occasionem fortius pugnandi præbet, quæ avniæsisæ in productione meteororum deprehenditur, ubi exhalatio calida, ob circumstantis urgens frigus saepè accenditur.

XIV.

Hicce agendi modis etiam annumeretur resistentia, quæ est actionis non admissio, sive non passio, & insequitur naturam nitentem se conservare, ut terra in ignem coniecta, non absurbitur. Terra enim magnam vim resistendi obtinet, sed debili modo agit; ignis contra multum agit, sed parum resistit: quia facile extinguitur.

XV.

Succedit causa finalis, cuius distinctiones omnes hic non enumerabimus, cum ad Metaphysicam pertineant. Constat, quod finis alias sit actionis, alias rei factæ; alias externus, alias internus; alias intermedius, alias ultimus. Dari verò causam finalem, qui negat, is pulcherrimum rerum naturalium ordi-

ordinem neget, necesse est. Feruntur enim res naturales omnes ad certum finem, suæ conservationis semper studiosæ. Certant inter se res omnes bonitate & pulchritudine, quælibet in statione sua permanet ad alterius ministerium semper promta. Hinc colligitur, quod detur divina providentia, à qua optimus hic ordo fluit & dependet, quemq; aliàs fatum vocamus.

XVI.

Describitur causa finalis, quod nihil aliud sit, quam quā agens moveatur ad opus suscipiendum, quæ motio non est realis & Physica, sed intentionalis & Metaphorica; unde etiam finis dicitur miraculum in natura, quod scilicet motione Metaphorica efficientem ad agendum impellere potest. Et hæc de causa efficiente & finali.

XVII.

Accidit verò interdum, ut causæ Physicæ in agendo deficiant, & quem volunt finem, non semper affsequantur: Unde fortuitò vel casu ad gøre dicuntur. Agendum igitur hic de fortuna & casu. Describitur fortuna quod sit causa per accidens in ijs, quæ operantur ob aliquem finem ex electione, neq; ut semper, neq; ut plurimum, sed rarò. Casus est causa per accidens in agentibus non ex proposito.

XIX.

Effectus iste, qui præter intentionem agentis accidit, dicitur monstrum, quod describimus effectum virtiosum naturæ deficientis à suo fine ob impedimentum rarò contingens. Monstrorum generatio ad quatuor potissimum causas reducitur. 1. Monstra contingunt propter defectum & diminutionem materiæ, qui defectus interdum est ex quantitate continua, interdum verò ex quantitate discreta agnoscitur; id quod contingit tripliciter 1. Secundum defectum magnitudinis sufficientis, quando scilicet semen ad generationem non sufficit, unde generantur homines non convenientis homini

B

sta.

staturæ. 2. Propter defectum quo d' numerū, quando scilicet generatur homo destitutus membris quibusdam. 3. Fit defectus in utræ & sic generantur homines & nimis parvæ staturæ, & quibusdam membris carentes.

XIX.

II. Producuntur monstra ex abundantia materiæ, indeq; generantur homines justam staturam excedentes, qui non abundant in aliquo membro, sed in sola quantitate. Aliquando verò abundant in numero membrorum, & quidem vel in membro necessariò requisito, ut quando nascitur biceps; vel in membro, quod in tempore determinato non provenit, ut quando nascitur puer dentatus?

III. Non raro committi solet error vitio partis continentis, seu uteri, quo non rectè disposito monstra clauda & gibbosa generantur.

XX.

IV. Monstrorum causa dicitur, quando natura peccat ob aliquem aspectum vel constellationem cœlestem fœtui generando contrariam: Accidere enim potest, ut lumen alicujus constellationis cœlestis dominantis super aliquam generationem alicujus speciei dirigatur secundum radios rectos ad alia loca, in quibus generatur individuum alterius speciei, unde imprimuntur isti dispositiones illius speciei, & ita nascitur fœtus ore vel leporino aut pedibus ovillis. Tandem his additur imaginatio prægnantium, quæ si variæ & vehemens fuerit, etiam fœtui imprimitur idolum seu effigies imagine comprehensa. Iohannes Lindholz in comment. super parva naturalia.

AXIOMATA.

I.

Natura agit propter certum & destinatum sibi finem. Deus enim & natura nihil faciunt frustra.

2, Na-

II.

Natura finem suum semper assequitur.
*Quamdiu scilicet ratio seminalis in natura non
impeditur.*

III.

Natura determinata est ad unum oppositorum. Non enim liberè producit quicquam, ita ut possit monstrum producere & non producere liberè, sed necessariò generat vel non-monstrum, quando non impeditur, vel monstrum, quando impeditur.

IV.

Omne agens Physicum agit per contactum.
Sive is sit propriè dictus, vel virtualis.

V.

Idem non agit in se ipsum. Actione sc. directa. Per reflexam enim in seipsum ut agat, nihil impedit,

VI.

Quæ per accidens fiunt, etiam reverà fiunt.

VII.

Omnis effectus casualis reducitur ad causam perse. Et: *Quodcumq; alicui est non naturale,
illud alteri est naturale.*

QUÆSTIONES.

I.

An Deus rectè dicatur agere contrà naturam?

Probè intelligendi sunt isti termini: Secundum naturam, contra naturam præter naturam & supra naturam. Secundum naturam ea dicuntur, quæ fiunt ex præscripto naturæ. Sic motus deorsum est secundum naturam lapidis. Contra naturam dicuntur, quæ naturam destruunt, ut lapidis motio sursum. Præter naturam contingere dicuntur. 1. Quæ quidem non fiunt ex præscripto naturæ, eidem tamen vim aliquam insignem non inferunt, ut hominem nasci sex digitis. 2. Quæ naturali quidem modo non fiunt: Naturam tamen non destruunt, sed potius elevant, ut virginem parere non est contra naturam humanam, quia hanc non destruit sed potius elevat. Supra naturam esse dicuntur, quæ à supernaturali principio proficiscuntur, ut creatio & miracula. Non igitur rectè dicitur agere Deus contra naturam, sed potius præter & supra naturam, cum is naturam non destruat, sed conservet, Deoq; minimè sint tribuendæ oppositæ voluntates & actiones. Hinc Patres Orthodoxi scitè dixerunt, Christum natum esse non contra, sed præter rerum seriem.

II.

An figuris factitiis vis atq; facultates quasdam in rebus naturalibus sint attribuenda?

Nugæ hæ sunt quorundam, quibus procul dubio Diabolus ad decipendos imperitos uitetur, ut eū citius figuris quoq; quas veneficæ ipsius instinctu excogitant, fidem adhibeant. Quis enim actionem transcurrentem quantitati attribuet: qui motum naturalem figuræ artificiali assignat.

gnabit, nisi artem cum natura confundere velit. Dicant forte, id
oriri ex occulta quandam Sympathia? Dicant, sed mihi non persuao-
debunt, esse sympathiam inter Saturnum & picturam Viri senis,
inter Venerem & formosam puellam in tabula depictam. Abeant ergo &
exterminentur ejusmodi præfigiae, quibus homines isti veram astrologi-
am suspectam reddunt.

III.

*Quid de instituto Theophrasti sentiendum:
annè iste modus, quo vulnera curare solitus
est, in naturalibus causis fundamen-
tum habeat?*

Effectum negare non possumus, nisi hominibus fide dignis alio-
quid derogare velimus. Quæritur annè causa naturalis aliqua detur
in hoc curandi modo. Negamus. Nam medicamenta, quando non
tangunt vulnus, in id agere nequeunt. Neq; hic ad occultam
quandam ferri & vulneris sympathiam recurrentum est, quia
ea nondum est probata. Relinquitur igitur, quod mera sit supersticio,
quicquid cum ferro peragitur. Ipsa enim natura, cum vulnus ab in-
flammatione, & puris generatione prohibetur,
seipsum ad pristinam integrita-
tem reducit.

B 3 PRO-

PROBLEMATA.

I.

Verumne illud Aristotelis: *Omnes homines natura scire desiderant*: *Aff.*

II.

Ex nihilo nihil fit, axioma est Aristotelis, de quo queritur, an contradicat isti conclusioni Theologicæ; Mundus conditus est ex nihilo? Ita quidem sentiunt Philosophiæ obtrectatores, sed minus rectè sentiunt.

III.

Intellectus noster intelligendo fit omnia, sc. idealiter.

IV.

Ens omnium rectissimè ita describitur: Ens est generalissimum illud, quod omnium primum intellectus noster tanquam notissimum apprehendit.

DEO GLORIA.

-oP eB

05 A 1559



KdA





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-591123-p0018-7

DFG

19

CONTEMPLATIONUM PHYSI-
CARVM GENERALIVM
QUARTA

De
NATURA
ET
PRINCIPIIS CORPO-
RUM NATURALIUM EXTRINSECIS.

Quam

Jehovâ Opt. Max. Auspice

PRAESIDE

M. GEORGIO GUTKIO

Coloniensi Marchico, Facult: Philosophicæ
adjuncto.

In florentissimâ VVittebergensi Academiâ

Ventilandam proponit

CASPARVS HEIDECCK

Günstensis Anhaltinus.

Addiem 25, lunI, anno 1617.

VVITTEBERGÆ,

Apud PAULUM SCHETLERUM.

Farbkarte #13

